DVBIVM

AN IN MORBO PESTILENTE, BVBONE peſtilente, carbunculo vè peſtilente, apparente, ante ſeptimum diem expurgāti medicamento vti liceat: per Licenciatum Illefonſum Herrera Pineda Compluti graduatũ, & in Hiſpalenſi Academia facultatis Medicæ Cathedrę olim profeſſorem.

CVM LICENTIA.

Hiſpali excudebat Clemens Hidalgo. Anno.1600.

Duci de Arcos, Marchioni Zaharensi, Cazarensi Comiti, Licenciatus Illefonsus Herrera Pineda Medicus Hispalensis.

S.P.D.

CVM Multa clarissimè ac omni virtutum genere ornatissimè princeps, de natura, contagione, ac curatione morbi pestilentis inter Medicos huius ciuitatis essent anno præterito controuersa, hoc vnum præcipuè agitatum proclamatumq́; fuit, num ante diem septimum ex purgans medicamentum illi conueniret. Cumque hinc atque inde quam plurimæ proponerentur rationes abstrusissimæque difficultates, atque ipse omnibus ferè consultationibus inter fuissem, eas quidem omnes in vnum colligere decreui, vt longa satis disputatione exquisitoque examine, quid tutò in re adeò periculosa tenendum esset, definirem. Id vero tuæ celcitudini dicari constitui, tum quod literis literatisque omnibus semper faueas, tum quod in ciuitatum ac opidorum tuorum ditionibus tuus sim famulus ac indignus subditus. Has itaque meorum laborum primas elucubrationes, quas humiliter offero, tua amplitudo benignè excipiat oro.

Q Væstio hæc vt difficilis est, sic graues multos pro vtraque parte habet fautores. Pro parte negatiua est, Primum argumentum si id pestilenti contagio solum operanti agas, humores venenatos à circunferentia aduiscera allicies, vel cum pestilens spiritus pharmaco non cedat, longè magis lædes, & naturales ac quietos humores, eo ci tius agitabis, quo facilius contagium suscceptent omnes laborātis partes, ergo intentum. Secundum argumentum, si ratione morbosi apparatus id facias, turbabis humorem crudum & corruptum, vt reliqui succi qui superstites sunt eadem labie inficiantur ergo. Tertium argumentum, nam si vitiosorum ædu liorum occasione malum oriatur, purgatio, vel copiosa futura est, & hanc nequibunt ferre pusillæ vires, vel si minus purges, nil facies ergo, &c. Quartum argumentum, medicus est naturæ imitator; sed natura facultatis expultricis robore vsa quod molestum & inimicum est intus foras expellit, hoc est à nobilibus ex præcipuis partibus ad ignobiles, idest, ad æmuntoria, ergo existente bubone pestilente, aut carbunculo ante septimum diem non purgabis, ne motum naturæ contrarium facias probo consequentiam, natura ab intro foras expellit, sed medi camentum expurgans, Quod est foras transmissum, intus trahit, ergo &c. Patet antecedens cum medicamentum expurgans à circunferentia ad centrum trahat, ergo, &c. Hunc igitur naturæ motum cum medicus imitari debeat, profectò minimè purgandum erit, ne motu contrario foris intus reuellendo, naturæ motum qui sit intus foras interturbet. Sic sæpè videmus quibus ob bubones venereos purgatio perscribitur, his materiam reddi insupurabilem, eiusdemque intro reuocatione luis venereæ enferri consequutionem. Quintum argumentum, aut in morbi principio natura expulit humorem ad cutem, aut non? Si expulit iam iubanda est, nec impediendus eius motus, qui ad externa fit, præsertim cum hic motus venenatus sit, & in motu ad interiora possit maximè lædere aliquid ex visceribus. Si na-

Si natura non expulit humorem, cum crudus sit, non poterit purgari, neque enim turget humor, cum sit firmatus loco obstructionis, ergo, &c. Sextum argumentum, si aliqua ratione in principio bubone pestilente, aut carbunculo apparente, expurgaremus, maximè ex eo quod humor venenatus concoqui non potest, sed talis humor concoqui potest, ergo ratio nulla, maior patet minorem probo ex Galen. lib. 5. method. cap. 12. vbi describit quandam pestem constitutionem in qua ex purgato corpore vomitibus & albi deiectionibus: tandem omnibus, qui euadebant, apparebant nigra exanthemata. 8. & 9. die: quæ erant reliquæ sanguinis, qui in febre putruerat: quas veluti cinerem natura ad cutim trusit, sicut solet alia supervacua expellere. Iam expurgationem corporis vomitibus & albi deiectionibus factam, post coctionem sequutam fuisse intelliges ex eo, quod vtilis fuit, si hoc ita est, poterit ergo humor venenatus coqui, & à natura vtiliter expelli. Septimum argumentum medicamenta expurgantia quibus vtimur, multum mouent, & parum euacuant, quod est multum inconueniens, sæpé enim multa nocent, quæ non nocerent nisi mouerentur, ergo, &c. Confirmatur ex Cornelio Celso. lib. 3. cap. 7. vbi agens de febre pestilente hæc prorrumpit verba, si verò ardens febris extorret, nulla medicamenti potio danda est, ergo, &c. Octauum argumentum medicamentum expurgans in principio exhibitũ trahit materiã venenosam adintestina, sed talis atractio dyssenteriã producere ualet, & ægri morietur, ergo, &c. Cõfirmatur ex Hipp. 3. æpid. sect. 3. text. 56. & 57. vbi describens quandam pestem, inquit, nam purgationes multos offendebant, quorum qui sic habebant, citò multi peribant: multis malum producebatur, & paulò inferius, vnoque verbo, qui longis morbis, vel acutis tenebautur, ventris vitio omnes præcipuè mortui sunt, cunctos namque venter substulit, præterea probatur nam concta medicari oportet atque mouere non cruda, &c. ergo expectare oportet coctionem & perconsequens ante septimum diẽ non purgabimus, huius causam reddidit. Hipp. 4. de ratione victus in morbis acutis cont. 44. dum ita inquit: ventrem ab initio clystere duces, sed medicamenta expurgantia non adhi-

bebis: nam si ventrem moueris, vrina non maturabitur, febrisque citra sudorem & iudicationem in longum protrahetur. His verbis docet expurgationem succis non coctis facere longiores morbos & maiorem cruditatem, & impedire iudicationes. Causa qua hęc mala eueniunt, est, quam ipse Hip. reddidit satis differte eodem lib. cont. 22. ita dicens quicunq; ea quæ inflamata sunt, morborum inter initia medicamento soluere conantur, ij non solum abinterna inflamataq; parte nihil adimunt, cũ non cædat affectio cruda, verum & quæ morbo aduersa, & sana sunt absumunt, contabe faciuntque, ductoque ad imbecillitatem corpore, morbus superior euadit, qui vbi corpus vicerit remedium non habet: hæc illo loco Hippoc. Causa qua affectio cruda non cædit, est: quod tempore cruditatis intenta est natura retentioni, quare qui expurgat, contrarium motum mollitur ei, quem amat natura ergo, &c. Nonum argumentum medicamenti expurgantis vsus, febribus perpetuis & magnis, idest: acutis est aduersissimus teste Hip. lib. de expurgantibus medicamentis dum ita reliquit scriptum: Quicunq; igitur à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta expurgantia dare non oportet, donec remiserit febris, sin minus, saltim nõ intra quatuordecim dies. Carnes enim ipsorum, & ventres cũ calidi sint, medicamentum assumunt, & nihil expurgatur, & febris maior fit, & color euertitur, & morbi regij speciem præseferunt. Commota enim bile, & non purgata, non vult sorbere æger, nec bibere, sed omnia abominatur, & plerũq; perit ergo, &c. Obidq; dixit Hip. lib. 2. apho. 24. in acutis passionibus raro, & inter initia medicamentis expurgantibus vtendum. &c.

Pro huius quæstionis exacta intelligentia. Nota primo, qualis conditionis sit humor, & per quam regionem designet natura ipsum ducere, quippe licet in omni morbo statum sit, quo natura vergit eo esse ducendum, maximè profectò exequendũ venit in quauis pestilente constitutione, nam aliter præter quã quod natura non erit nobis adminiculans, omnino succumbet, humoris venenosi motu per aliam regionem reuocato, quia plures erunt eo tempore partes quæ contactu venenosi humoris lædantur, quod in omni pestilente constitutione, tanquam

summè

summè perniciosum est fugiendum, itaq; si per ventriculū vomitibus cōstiterit moueri, eodem ducere oportebit, maximè si humor exbiliosorum humorum sorte fuerit, quod si deorsum in vita natura pellas in lethalem dyssenteriam, vel in magnam virium iacturam laborantem deferes. Deniq; si laborans nausea bundus apparuerit, fastiditus & aduomendū pronus ad ipsum cogēdus est æger cōpressa frōte & oculis fascia aliqua & prono corpore ab assumpto medicamēto quod recepit aquæ buglossi tepidę lib. I. sirupi acetosi vncias duas misce aut scutellam vnā aquę floris narāgiorum tepidæ cūm vncijs duabus sirūpi de suc co accido citri aut limonum, vel rescipe came mali vncias duas seminis anethi & raphani ana. vnc. I. terantur omnia, & bulliant in lib. jx. aquę donec consumātur tres, & facta expresione adde aximelitis simplicis vnc. iiij. agarici puluerizati dragmam. I. cuius sumat laborans vnc. iij. & paulò post cogatur ipsum vomere quo facto citra potū quiescat, & quasi vna ora à vomitu, sumat apozima contra venenosum affectum, quod recepit pulueris lapidis bezoar Indiæ Orientalis. g. iiij. confectionis iacinthorū dragm. I. theriacę veteris dragm. I. pulueris boli armenici præparati drag. semisem pulueris diamargaritonis frigidi scrup. I. aquarum oxalidis & scorchioneræ ana. vnc. iiij. misce. Quo sumpto si sudor apparuerit, nō est inter dicēdus, imo est prouo candus: sudor enim hoc in morbo tanti est momenti, vt aliqui asserant, in huius morbi curatione argentum viuum maximè cō ducere, ex eo quod vehementer sudorem commouet: propter quod audiendus non venit Ludouicus Mercatus Vallisoletanæ academiæ, olim primarię Cathedræ professor, & à cubiculo po tentissimi Regis medicus, eiusdemq; prothomedicus, qui lib. 7. de febr, differ. cū earū curatione. c. de febre maligna & pestilē te, asserit, nō esse prouocādū: deniq; singulis diebus cogēdus est advomitū laborās, ante cibū, vel si debilis sit post cibum, donec aliquid profuisse cōpertū sit: quod si constiterit ad corporis am bitum humores moueri vt euidenter conspicitur ex tumoribus & pustulis adcutem transmisis, aut ex eo quod non est in pecu liari membro signum de cubitus humoris ibidem, tūc quidem sudores mouere, & corpus per eam partem purgare oporrebit,

medicamento quod recipit theriacæ mangnæ vnc. 1. boli præparati, rhabarbari puluerizati ana. vnc. semis. cornu monocerotis & pulueris garriophilorum ana. scrupulo. 1. lapidis bezoar scrupulum semis. sirupi de succo limonum dragm. semissem aquarum escabiosæ scordij & scorchioneræ ana. vnc. ij. buglossi & radicis carlinę ana. vnc. viij. misce, & sumat laborans quinque aut sex vnc. æstiuo tempore frigidas & frigido temperatas: atsi per sedem inferiorem humor vergat, per ipsam euacuare oportebit.

Secundo nota duplex reperitur causain febre pestilente cum bubone pestilente aut carbunculo, vna antecedens, quæ sua maligna qualitate & instabilitate ad expulsionem molestat, & aparte ignobili ad nobilē decūbere potest, idest a uenis ad cor altera est coniuncta, quæ est illa quæ in obstructionis loco iam firmata est, estq; in via ad obstructionis locum.

Tertio nota pestilens morbus dupliciter prouenire potest, aut aeris infectione tantum sine eo quod humores vitientur, aut aeris infectione simul cum humorum vitio: His suppositis est conclusio in febre pestilente aut carbunculo apparente deposita prius vitio si sanguinis & corrupti plenitudine quod, ex eo quod sanguinis plenitudinis signa deficient, cognoscetur signisq; cachochymiæ apparentibus, vt linguæ amaritudo, aut viridis, alba, aut pallida, aut nigra cum anxietudinibus simul, ex aerisq; infectione cum humorum corruptione proueniat, & per albi deiectionem humor vergat, vt antecedentem causam inuenis existentem deponamus, quam citissimè & ante septimum diem medicamento expurganti vti oportebit, ne illa in principem decumbat partem: quæ probatur multis rationibus, quarum prima est hæc quanto magis expurgationem differas, tanto magis venenati humores reliquos conspurcabunt, ergo, &c. Secunda ratio si propter bubonis, aut carbunculi pestilentis exitum expurgationem differamus, voiuersa humorum massa facile contabescet, & membra principalia inuadet ac infirmabit, ergo, &c. Tertia ratio, si expurgationem differre debebamus, maximè propter humorum coctionem, sed humores venenosi coqui non possunt, nec eos coquere natura valet, ex eo

quod

quod sunt sero similes, ergo,&c. Quarta ratio, tales humores de sorte & natura turgentium sunt, & ob id protinus sunt educendi, ergo,&c. Patet consequentia, antecedens probatur, tales humores cum propter suam malignam veneficamq; qualitatem nulla in parte à natura retineantur, omnium enim membrorum natura ad illos expellendum conspirat: ergo turgent, cum turgere, nihil aliud sit, quam humorem de parte in partem agi, nul laque in parte hærere, vnde conspirabit etiam cum pharmaco, quare expurgatio optimè cædet. Quinta ratio, venenati humo res maximè absumunt vires ergo protinus sunt educendi. Sexta ratio inter causas propter quas bubone pestilente, aut carbun culo apparente ante septimum diem expurgamus, potissima est vt causam antecedentem, in penitioribus locis existentem, ne in partem principem decumbat, reuellamus: sed talis reuulsio ante diem quintum est facienda ergo,&c. Maior probatur, talis antecedens causa sua venefica malignaq; qualitate,& instabi litate semper ad expulsionem molestat, ergo maximus est timor ne ad cor descendat, & per consequens reuulsionis gratia est euacuanda, quod optimè animaduertit Gullielm. Plant. in anota. Huius Hippoc. Aphor. concocta medicari, &c. Dum dicit: Animaduertendum tamen est vbi materia sua instabilitate, aut qualitate molesta ad sui excretionem stimulat, aut ne à parte ignobili in nobilem & principem decumbat metus est, tunc citra moram aggrediundum esse ad humoris huiuscemodi vacuationem: idem fieri debet ad materiæ etiam frigidæ & crassę retractionem in magno morbo vt apoplexia, tetano & ad natu ræ motum inhibendum vt infractis & luxatis: sic manet maior probata minorem probo ex Hip.4. de ratione victus in morbis acutis cont.64. dum docet his verbis, hos si abinitio purgare volueris, ante diem quintum facito. Tum præterea probatur materia venenosa semper est turgida propiè & perse, vel ob eius læsionē ex eo enim quod statim subito cor lædit. Quod do ctissimus Monardus lib.13. epistola.1. tenet ergo, &c. Scimus enim ab Hip. sancitum, quod in morbis valdè accutis si materia turget medicari eadem die expedit, tardè enim in talibus ma lum esse ergo intentum tùm probatur nam si citò non purga-

mus, pestilens venenum materiam paratam offendet, & correptum contagione inficiet, vnde pestis nouas & longè maximas vires assumet; præsertim cum moneat Celsus quo celerius eiusmodi tempestates corripiunt, eo maturius auxilia, etiam cum quadam temeritate esse rapienda, ergo si pestis exaeris infectione simul cum humoris corruptione proueniat, quamuis bubo pestilens, aut carbunculus appareat citissimè expurgandum erit.

Ad argumenta pro contraria parte aducta, & ad primum respondetur, negando quod medicamento expurganti leui, quo vtimur humoris retrocessus ad interna fiat, nos enim non expurgamus vt humores ad æmuntoria expulsos, ad viscera retrahamus, sed vt causam antecedentem idest illum humorem veneficum sua molesta qualitate venenata & instabilitate ad expulsionem irritantem, euacuemus. Vnde cum subiectum in quo hæc maligna & venenata qualitas subiectatur, euacuetur, euacuabitur etiam ipsa, destructo enim subiecto, destruitur etiã accidens, vt ex Arist. constat, illi vero homores qui per medicamentum expurgans, mouentur, in corpore non retinentur sed euacuantur, itaque quãuis impuri cum puris permisceantur, non inconuenit cũ extra corporis ambitum vtriq; pellantur. Ad secundum respondetur cũ humores venenati non coquãtur turgentesq; sint (vt in cõclusione probaui) in principio sunt adexpulsionem idonei, paucoq; à naturæ & medicamenti expurgantis motu optimè expurgantur, & sic quãuis infecti cũ non infectis permisceãtur cũ extra corpora trudantur non concludit argumẽtum. Ad tertium respõdetur, si pestis ex æduliorum vitio suboriatur, protinus est expurgandum medicamentis quibus & communia excrementa, & quod in venoso genere est, simul extrahantur, nam in his humoribus sat est, quod medicamentum præstet motus principium, ob id prossunt cassiafistula, sirupus solutiuus rosarum persicarum & similia, quæ medimenta cum moderamine euacuant. Vnde maior vtilitas ex hoc sequitur, quam si bubone pestilente, aut carbunculo apparente expurganti medicamento non vtamur. Ad quartum respondetur, nos expurganti medicamine naturæ motũ non impedire

per

per expurgās enim medicamentum quod obstructionis loco est firmatum, haud expurgare intendimus, ibi namque impactum crudumque est, humor vero in inflamatione existens crudus non expurgatur, eo quod expurganti medicamento haud cedit vt. 4. de ratione victus in morbis acutis cont. 22. docet Hip. sed id quod sua instabilitate & molesta qualitate inuenis existens aut moueri iam incipit ad expulsionem irritat, expurgare conamur, vnde cum extra corpus euacuetur, etsi ab externis ad interna trahatur nihil inconuenit. Tum aliomodo potest argumentum solui dicendo apparente bubone pestilente aut carbunculo, per expurgationem nullum retrocessum ad interna fieri, sed potius abinternis ad externa expulsionem venenati humoris maiorem fieri:De onerata enim natura potentior euadit supra residuum vt apud Gal. refertur. Cuius ratio in promptu est: nam si huiusmodi expulsio naturæ est actio, quo quantitas fuerit minor,& natura robustior eo fęlicius excernet quo fit vt id quod irritata præcopia non valuit pellere, de onerata promptisime excernat: retrocessus namque tantum fiet in terioribus partibus humore conueniente destitutis, & de pauperatis, sed plenitudine & cacochymia deposita, adhuc sufficiens quantitas superetit,ita vt vasa neque appetitu neque indigentia, quod semel tanquam inutile transmisserunt, amplius trahere conentur. Preterquam quod plus mali efficiet plenitudo,aut cachochymia existens, quam retrocessus venenati humoris nulla existente in corpore plenitudine & cachochymia: Ratio in promptu est:quia maior venenositas subijcietur plenitudine existente & cachochymia,quam ea erit quæ cum humore venenato retrocedet, vnde neque argumentum neque confirmatio contra nos concludere videntur, nam & supuratio in bubone venereo, melior fiet & resolutio si posibilis sit, & expulsio ad externa similiter, ex quo patet error asserentium in bubone venereo neque expurgandum neq; sanguinem esse mittendum,sed atrahentibus valde esse vtendum, quod probatur medicamenta attrahentia valdè quod in collecta, materiæ tenue est resoluunt, pro futurū si maneret,accelerandæ suppurationi:vel plus etiam materiæ calidæ quam pars ferre posit atrahunt.

hunt. Vnde corruptio potius sequitur, quam maturatio denique dolorem & febrem augent, vnde conuulsionis & mortiferæ gangrenæ metus. Tum præterea, si bubo ab humore melancholico per adustionem in atrabiliariũ conuerso crasso & rebelli, adeo vt ex eius copiosiore in parrem influxu gangrænæ metus sit & rebulsionistũc repellẽtibus circa abscessũ loca minuenda erunt, minimè vero abscessus ipse, sed medicamenta arrahentia valde hoc damnum efficient corpore non bene purgato & per sanguinis missionem plenitudine sufficienter deposita, ergo, &c. Ad quintum respondetur, semper naturam in huius morbi principio humorem venenatum expellere, vt experiẽtia paret cũ pro spacio triũ aut quatuor dierum principiũ sumatur & sic carbunculus pestilens ve bubo in principio apparet, & sic quamuis nos tunc expurganti vtamur medicamento, naturæ motum non impedire sed potius iubare. De onerata enim natura, parte cachochymiæ expulsa supra residuum potentior euadit, vt latius in 4. argumenti solutione est declaratum. Ad id quod dicitur humor crudus non potest expurgari intelligendum venit de humore crudo non venenato, venenatus vero humor cum sua instabilitate & molesta qualitate ad expulsionem iritet, crudus expurgatur. Omnium enim membrorum natura ad ipsius expulsionem conspirat, vnde cum talis humor sit sero similis non coquitur, & cum solus obstructionis loco firmatus non sit, sed minor pars, aliàs enim hac sola expulsione morbus solueretur, ob id non colligitur quod humor non rurgeat, rurget enim quod inuenis remanet, ratione cuius expurgatio adhibetur. Ad sextum respondetur humorem venenatum coqui minimè posse propter rationem in quinti argumenti solutione aductam: ad Gal. vero autoritatem respondeo, quod eruptionis macularum eiusmodi causa est, sanguinis seruor ob admissi aut concepti veneni feritatem. hęc vero eruptio si natura est robusta, reliquias morbi in fine relictas trudendo aut expellendo morbum soluit in morbi enim fine maximum conatum apponit vt in morituris patet, quia natura in extremo conflictu maiore aliquo quam soleret conatu enixa, quod rebus omnibus moribundis familiare est, sub ipsum interitus

ritus articulum humoris pestiferi portione se incutem expediunt: de cætero illo extremo conatu sic debilitata, vt sub reliquo pondere postrata satisfcat, prouenisse vero talem expulsionem ex virtutis robore & non ex coctione obidq; pro fuisse credendum esse existimo. Ad septimum respondeo, negando medicamenta expurgantia quibus vtimur multum mouere, & parũ euacuare, expurgant enim & euacuant quod ad sufficientem cachochymiæ consumptionem expedit, deiectiones namque non sunt extimandæ quantitate, sed qualitate, vt ex Hipp. habemus. Ea vero quę mouentur, si non euocuentur nocere concedimus quę vero euacuantut negamus, venenatus namque humor sēper est motus ex eo quod sua instabilitate & molesta qualitate ad expulsionem semper irritat & omnium similitet membrorum natura ad ipsius expulsionem conspirat ad Corn. Cels. autoritatem respondeo ipsum deuerè expurgantibus intelligere, non vero de minoratiuis quibus vtimur. Ad octauum respondeo, verum esse medicamentum expurgans materiam venenosam ad intestina trahere, sed cum parum detineantur in intestinis nunquam dyssenteriam fieri cum medicamentis lenitiuis & benignis expurgamus, cum fortibus veto scammonioque confectis dyssenteriam fieri concedimus. Vnde cautum est á medicis doctis experientiaque comprobatis in febri pestilente talia medicamenta expurgantia fugere, vnde reprehendendus venit Ambtosius Pareus qui tract. 21. de peste. cap. 25. scammonium ad ægros purgandos exhibet, fortia enim medicamenta expurgantia cum humoribus acribus & corrosiuis permixta acriores & magis corrosiuos faciunt, lenia vero mitiores & per consequens minus corrosiuos: ad Hip. autem lib. 3. æpid. Respondeo dispar est ratio, nam illa pestis, erant fluxus ventns pestilentes, in qua affectione, pars affecta intestina erant, & sic non est mirum quod Hip. expurgantia medica menta vetuerit, cum ad affectam partem materiam venenosam trahant & sic vlterius progrediatur affectio, in peste vero præterita de qua est nostra disputatio. 1599. intestina non erant affecta, & sic non est cur nostra expurgatio prohibeatur. Ad reliquas Hip. autoritates respondeo, illis locis deuerè expur-

ganti-

gantibus medicamentis intelligi, quæ cum calida sint & si intempestiue adhibeantur, ea incommoda afferent, nostra vero expurgantia medicamenta quibus vtimur cum multa ex ijs sint frigida vt casiafistula, tamarindi, viola, serum lactis & similia, quolibet tempore exhiberi possunt, habent namque vniuersalis valdè clysteris vicem, communia enim excrementa deponunt, morbosum apparatum, primamq; regionem euacuant, & tandem succesisione eius quod euacuatur, materia venenosa à corde distrahitur & separatur, ad experientiam in contrariũ aductam respondeo, me (Deo fauente) fælicissimo successu contrarium multoties obseruasse; propter quod immortales Deo ago gratias, santissimæque Virgini Mariæ Matri eius & sic nostra finitur disputatio.

(.?.)

LAVS DEO.

EN LA Ciudad de Seuilla a veynte y cinco dias del mes de Enero de mil y seyscientos años el Licenciado Maximiliano d: Espinosa Teniente de Asistente, auiē do visto y leydo lo contenido en este papel, dixo, que daua y dio licencia al Licenciado Alonso de Herrera Pineda Medico, para que pueda imprimir lo contenido en este papel, que habla sobre el purgar en las enfermedades pestilentes, y para que el imprimidor a quien el dicho Licenciado Alonso de Herrera lo diere lo pueda imprimir, y no otro alguno, y sea por dos meses, que corren desde la fecha deste. Fecha vt supra.

El Licenciado Espinosa.